

DE QUERELA NULLITATIS DEQUE RESTITUTIONE IN INTEGRUM ADVERSUS SENTENTIAS SECTIONIS ALTERIUS SUPREMI SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNALIS

Quantum scire potest, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal prima vice aliquibus sententiis definitivis querelam nullitatis et petitionem restitutionis in integrum adversus sententias Sectionis Alterius eiusdem Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis agnoscit atque admittit, ac reapse restitutionem in integrum in casibus concedit¹.

Positio quaestionis

1. Sententia est legitima pronuntiatio qua iudex controversiam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, data singulis dubiis congrua responsione (cf. c. 1611, 1^o; cf. etiam c. 1868, § 1 Codicis praecedentis).

¹ Sententia definitiva diei 27 februarii 1993 (N.N. — Rev. N.N./Congregatio N.N. — prot. n. 18190/86 C.A.), qua conceditur restitutio in integrum adversus sententiam diei 17 decembris 1988 (prot. n. 18190/86 C.A.) eiusdem Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis.

Sententia definitiva diei 27 martii 1993 (N.N. — Rev. N.N./Administratio N.N. — prot. n. 22221/90 C.A.), qua conceditur restitutio in integrum adversus partem sententiae diei 16 decembris 1989 (Iurium — prot. n. 18707/86 C.A.) eiusdem Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis.

Iudex per iudicialem sententiam legem interpretatur (cf. c. 16, § 3), partium obligationes ex iudicio ortas determinat (cf. c. 1611, 2^o) atque personas, pro quibus data est sententia, ligat (cf. c. 16, § 3).

Parti tamen, quae se aliqua sententia gravatam putet, remedia iudicialia suppetunt, inter quae appellatio, querela nullitatis ac petitio restitutionis in integrum eminent.

Appellatio, etiamsi eidem non semper sit locus (cf. c. 1629), remedium est admodum ordinarium: per appellationem ad iudicem superiorem provocatur ut sententia reformetur (cf. c. 1879 Codicis praecedentis).

Per querelam nullitatis pars declarationem nullitatis sententiae iudicialis petit.

Summus Legislator in iisdem remediis statuendis ac moderandis atque in eorum terminis praescribendis duas rationes, inter se aequaliter confligentes, ratas habuit: iustitiam, quae per se et altiore investigationem de rei veritate exigit; bonum publicum, iuxta quod celeriter contentionibus finis imponendus est, ne diu in incerto iura obligationesque maneant.

2. Sententia in rem iudicatam transit, quando contra eandem remedium ordinarium appellationis aut querelae nullitatis non suppetat.

Appellatio in casu non suppetit, quando ex legis praescripto (amplius) proponi non potest.

Querela nullitatis in casu non suppetit sive quando ex legis praescripto proponi non potest sive quando de facto eidem locus non datur (quia, ut expressis verbis dicam, sententia reapse valida est).

Res iudicata bono publico consulit, quia amplius impugnatio non datur; facit enim ius inter partes ac praesumitur vera et iusta, praesumptione iuris ac de

iure (cf. c. 1642; cf. etiam c. 1904 Codicis praecedentis). Praesumptio quaelibet tamen semper cedit veritati, etiamsi in casu praesumptionis iuris ac de iure solummodo per probationem contra factum, quod est praesumptionis fundamentum (cf. c. 1826 Codicis praecedentis), hoc evenit.

Nostro in iure, per restitutionem in integrum res iudicata per probationem iniustitiae manifestae tollitur, ac deinde iudex pronuntiare debet de merito causae (cf. cc. 1645 et 1648). Duobus gressibus iudicium restitutionis in integrum constat: gressus s.d. rescindens, ubi iniustitia manifesta sententiae, iuxta casus taxative in c. 1645, § 2 enumeratos, probari debet; gressus s.d. rescissorius, ubi iudex denuo de merito causae pronuntiat.

Restitutio in integrum remedium extraordinarium evadit contra sententias iniustas. Ius naturale atque ipsum ius divinum positivum et hoc extremum nomen ad iustitiam attingendam postulat. A Summo Legislatore tamen sub clausulis iuris positivi conceditur, quia revera eidem, iuris Conditori, veluti compositio postulationum iustitiae et certitudinis iuris competit (cf., quoad hoc, casus taxativos in c. 1645, § 2 recensitos necnon terminos peremptorios in c. 1646 statutos).

3. Quaestio ab his novis Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis sententiis proposita ac soluta, vertitur circa possibilitatem querelae nullitatis² et pe-

² Quaestio de querela nullitatis agitur solummodo in priore sententia, atque pleno iure istud gravamen accipitur, etiamsi in facto querela nullitatis non concedatur «saltem quia proposita(m) sine requisito mandato». Nostro in labore propterea de utroque remedio extraordinario agimus.

tionis restitutionis in integrum contra decisiones Em.morum et Exc. morum Iudicum Signaturae Apostolicae.

Quaestio probe circumscribenda est quoad decisiones Em.morum et Exc.morum Iudicum Signaturae Apostolicae: non enim unius generis illae evadunt.

Primo in loco agendum est de decisionibus in Sectione Altera Signaturae Apostolicae prolatis, sive quia sententiae, quas examini subicimus, huius generis evadunt, sive quia quaestio diversimode ponitur quoad priorem Sectionem eiusdem Signaturae Apostolicae.

Quaestio, secundo in loco, circumscribitur ad Alterius Sectionis decisiones, quae circa controversias administrativas vertunt (cf. art. 123, §§ 1-3 Constitutionis Apostolicae *Pastor Bonus*).

In his decisionibus, tertio in loco, praetermittendae videntur illae, quae mere ordinatoriae evadunt processus administrativi coram Sectione Altera (cf. ex. gr. art. 123, §§ 1-2 *Normarum Specialium*).

Finefinaliter examen eis definitur decisionibus Em.morum et Exc.morum Iudicum Signaturae Apostolicae de quibus in art. 121 *Normarum Specialium*, at rectius in quibus Collegium iudicans decisionem fert quoad legis violationem in decernendo vel in procedendo ex parte actus administrativi impugnati ad normam art. 123, § 1 *Pastor Bonus*.

Aliae decisiones ipsius Iudicum Collegii (ex art. 123, § 2 *Pastor Bonus*: de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum; ex art. 123, § 3 *Pastor Bonus*; de aliis controversiis administrativis, quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis Signaturae Apostolicae deferuntur; ex art. 116 *Normarum Specialium*: de recursus reiectione ex parte Congressus; ex art. 113, §§ 3-4 *Normarum Specialium*: de ac-

tus administrativi impugnati suspensione, si et quatenus decisio a Collegio Iudicum detur aut dari debet) examini subicientur in fine huius notulae commentarii, quasi analogiam instituendo cum quaestione principali iam ab his novis sententiis soluta.

De iure quo regitur quaestio

4. Curia Romana constat, inter alia, Tribunalibus, quorum «constitutio et competentia lege peculiari definiuntur» (c. 360). Quam legem peculiarem Summus Pontifex promulgavit Constitutione Apostolica de Curia Romana *Pastor Bonus* diei 28 iunii 1988. Haec autem vigere incepit a die 1 martii 1989.

Lex ista, utpote specialis, ab eodem Legislatore supremo promulgata et insuper Codici posterior, Curiam Romanam regit, canones Codicis abrogando necnon iidem derogando in quantum est necessarium (cf. cc. 20 et 360).

5. «Signatura Apostolica lege propria regitur» (art. 125 *Pastor Bonus*). Quae lex propria in *Normis Specialibus in Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae ad experimentum servandis*³ habetur, quas Summus Pontifex, litteris Secretariae Status die 23 martii 1968 missis, approbavit.

Haec ergo lex specialis, immo specialior, Codicem Iuris Canonici praecedit. Nullam tamen formali-

³ Hae Normae non sunt editae in AAS, sed publici iuris factae sunt in fasciculo separato Typis Polyglottis Vaticanis 1968. Cf. *Documenta recentiora circa rem matrimonialem et processualem cum notis bibliographicis et indicibus*, I. GORDON - Z. GROCHOLEWSKI edd., Romae 1977, 373-397.

ter vim habet Codex hanc legem abrogandi vel iisdem *Normis Specialibus* derogandi: «Omnia Ecclesiae tribunalia reguntur canonibus qui sequuntur, salvo normis tribunalium Apostolicae Sedis» (c. 1402).

Normae Speciales ergo vigere pergunt, contrariis Codicis necnon Constitutionis Apostolicae *Pastor Bonus* praescriptis minime obstantibus, ac proinde Signatura Apostolica regitur ac in praesens illis *Normis Specialibus*.

Abrogatio vel derogatio *Normarum Specialium* dari potest tantummodo «si aliud in iure expresse caveatur» (c. 20), puta ex. gr. si Codex nomen Signaturae Apostolicae mutavisset.

6. Hoc autem non significat *Normas Speciales* post Codicis promulgationem iuxta earundem litteram vigere. Normae illae enim nexum sat arctum cum Codice anni 1917 promulgato tenent, ita ut, mutato Codice, de eiusmodi nexu disserendum sit.

Certocertius citationes canonum partitionum Codicis anni 1917, ad novi Codicis canones ac partitiones referri debent. Nulla difficultas pro numerorum citationibus.

At quid dicendum ex. gr. de citatione materiali alicuius canonis Codicis anni 1917?

Normae Speciales in art. 122, § 2 citant canonem 1605, § 1: «Decisio vim suam habet quamvis rationes in facto et in iure non contineat». Quae citatio in art. 55, §§ 1-2 perfectior evadit cum explicita mentione canonum 1605 et 1894 Codicis tunc vigentis.

Quaestio haec est: «Estne citatio materialis an potius formalis?». Priore in casu, mutato Codice, norma cadit, cum Codex non amplius illud Signaturae Apostolicae privilegium praevideat. Altero in casu,

mutato Codice, norma stat, quia ex suipsius vi lex vigere pergit.

Finefinaliter concludendum est duobus affirmationibus:

a. Signatura Apostolica etiamnunc *Normis Specialibus*, anno 1968 approbatis, regitur;

b. articuli ipsarum *Normarum Specialium*, qui ad Codicem tunc vigentem sese referunt, examini subiciendi sunt ad clarificandam indolem eorum relationis ad illum Codicem.

Argumenta concessioni querelae nullitatis et restitutionis in integrum contraria

7. *Normae Speciales* prorsus silent de decisionum Em.morum et Exc.morum Iudicum Signaturae Apostolicae impugnationibus. Silentium autem uti qualificatum habetur, cum art. 126 *Normarum Specialium*, qui ad Codicem remittit, et ipse sileat: «Quoad ea quae non praevidentur expresse in praesentibus peculiaribus normis, servantur, quatenus applicari possunt, normae processuales statutae in Libro quarto, Parte prima, prima Sectione, Titulis a III ad XIII Codicis Iuris Canonici, ita quidem accommodatae ut quam maxime consulatur peculiari illi brevitati, quam praeseferre debent processus celebrandi coram sectione altera Signaturae Apostolicae».

Art. 126 ad normas processuales Codicis Iuris Canonici (anno 1917 promulgati) remittit, at solummodo usque ad Titulum XIII, usque scilicet ad Titulum *De sententia*. Excipiuntur ergo Titulus XIV (*De iuris remediis contra sententiam*), Titulus XV (*De re iudicata et de restitutione in integrum*), Titulus XVI (*De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio*) atque

Titulus XVII (*De exsecutione sententiae*). Per brocardum, iuxta quod «Legislator quod voluit dixit, quod noluit tacuit», directe deducitur quod iuxta *Normas Speciales* nullum iuris remedium contra decisionem Sectionis Alterius datur. Iuxta Codicem vigentem Tituli excepti sunt VIII (*De impugnatione sententiae*), Titulus IX (*De re iudicata et de restitutione in integrum*), Titulus X (*De expensis iudicialibus et de gratuito patrocinio*) et Titulus XI (*De exsecutione sententiae*).

8. Iuxta art. 70 s.d. *Regolamento Generale della Curia Romana*, die 22 februarii 1968 a Romano Pontifice approbati, eiusdem Curiae addictis adversus suspensionem, exonerationem atque dimissionem ab officio recursus patet in devolutivo «ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae intra limites a Constitutione *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 106 positos»⁴. Signaturae Apostolicae decisio utpote definitiva censetur, «servato recursu a Codice Iuris Canonici praeviso»⁵ (art. 70; cf. etiam remissionem ad eundem articulum in art. 95, ubi agitur de recursu adversus dispensationem ab officio). Locutio art. 70, iuxta per multos auctores, clare ad c. 1569 Codicis anni 1917 (cf. c. 1417 Codicis vigentis) remittit, ad recursum scilicet extraordinarium ad Romanum Pontificem.

⁴ «Alla Seconda Sezione della Segnatura Apostolica, nei limiti consentiti dalla Costituzione *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 106». Art. 78 vigentis s.d. *Regolamento Generale della Curia Romana*, die 7 martii 1992 promulgati, locutionem admodum generalem adhibet nihilque referens ad nostram quaestionem: «L'interessato ha il diritto di ricorso secondo le norme canoniche».

⁵ «Salvo sempre il ricorso previsto dal Codice di Diritto Canonico».

Hoc modo recursus omnes iudiciales excluderentur adversus Signaturae apostolicae decisiones in controversiis administrativis.

9. Iuxta permultos auctores atque praevalentem iurisprudentiam, petitum penes Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae ut declaratio illegitimitatis actus administrativi impugnati necessario evadit. Excluderetur ergo ab objecto decisionis Supremi Tribunalis administrativi quaestio s.d. iuris subiectivi, vel clarius, controversia seu contentio ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae orta.

Structura iudicii sententiaeque, hoc modo, naturam cassatoriam vel rescissoriam potissimum induit⁶, quia per decisionem iudicis tantum illegitimitas actus administrativi definitur, et hoc propter legis violationem, vel recursus reicitur, quia actus administrativus legitimus compertus est.

Quanto maius structura iudicii administrativi naturam rescissoriam induit, tanto minus restitutionis in integrum necessitas apparet, quia et ipsa naturam rescissoriam induit.

10. Canonistae, plerumque, de iure condito, possibilitatem querelae nullitatis et restitutionis in integrum adversus Signaturae Apostolicae decisiones negant.

At alii aliter negant.

VALDRINI⁷ et PINTO⁸ appellationem solummodo

⁶ Cf. ex. gr. A. SABATTANI, *Iudicium de legitimitate actuum administratorum a Signatura Apostolica peractum*, in *Ius Canonicum* 16/32 (1976) 229-243.

⁷ Vide *Conflits et recours dans l'Église*, Strasbourg 1978, 103.

⁸ Vide *La giustizia amministrativa della Chiesa*, Milano 1977, 248.

negant adversus Signaturae Apostolicae decisiones, nullo habito respectu impugnationum extraordinariorum.

GORDON⁹ autem, vestigia pressius sequens Cardinalis, olim Signaturae Apostolicae Praefecti, STAFFA¹⁰, censet contra Supremi Tribunalis decisiones tantum recursum ad Romanum Pontificem dari posse, ad normam canonis 1569 Codicis praecedentis (nunc c. 1417). Quae possibilitas tamen admittitur a pluribus aliis canonistis utpote remedium adeo generale quod omnibus in casibus adhiberi potest¹¹, etiamsi eidem recursui «nullus character stricte iudicialis competat»¹². Haec (una) possibilitas recurringendi, iuxta aliquos auctores, in art. 70 s.d. *Regolamento della Curia Romana* innuitur¹³.

Argumentum principale, propter quod canonistae remedia iuris etiam extraordinaria contra Signaturae Apostolicae decisiones excludunt, in art. 126

⁹ Vide *Normae speciales Supremi tribunalis Signaturae apostolicae*, in *Periodica* 59 (1970) 162, nt. 11; EUNDEM, *Adnotationes in Codicem renovatum*, Liber VII: De processibus 2: De procedura administrativa cc. 1688-1728 (ad usum privatum), Romae 1982, 37; EUNDEM, *De recursibus administrativis in novo Codice*, ad usum privatum, Romae 1983, 30.

¹⁰ Cf. *De Supremo Tribunali administrativo seu de Secunda Sectione Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae*, in *Periodica* 61 (1972) 28.

¹¹ Cf. ex. gr. Z. GROCHOLEWSKI, *La «Sectio Altera» della Segnatura Apostolica con particolare riferimento alla procedura in essa seguita*, in *Apollinaris* 54 (1981) 103.

¹² «Kein streng rechtlicher Charakter zukommt» (G. RAAB, *Rechtsschutz gegenüber der Verwaltung. Zur Möglichkeit einer kanonischen Verwaltungsgerichtsbarkeit nach dem Modell des deutschen Rechts*, Roma 1978, 73).

¹³ Cf. ex. gr. E. LABANDEIRA, *Tratado de Derecho Administrativo Canonico*, Pamplona 1988, 773.

Normarum Specialium invenitur¹⁴. Eodem argumento plures auctores utuntur¹⁵.

Duobus aliis argumentis, quoad nostrum thema, canonistae utuntur:

— impugnationes adversus Signaturae Apostolicae decisiones non praevidentur atque hoc pendet «a Signaturae natura, utpote Supremi Ecclesiae Tribunalis»¹⁶; GORDON ipse loquitur de sententia Signaturae Apostolicae utpote *ultima*, dum e contra Card. STAFFA (quem ille expresse citat) de sententia *definitiva* loquebatur (cf. supra);

— impugnationes adversus Signaturae Apostolicae decisiones non praevidentur atque hoc deducitur ex iure praecedenti¹⁷, ubi scilicet contra Signaturae Apostolicae decisiones nulla dabatur impugnatio.

Nec desunt auctores qui (causam cum consecutione forsitan confundendo) gravaminum absentiam ex c. 1605 deducunt¹⁸. At bene quoad hoc notandum

¹⁴ «Le *Normae Speciales* del Supremo Tribunale, non prevedono alcun rimedio, anche perché le norme generali di remissione rimandano al Codice di diritto Canonico, appositamente escludendo il titolo XIV, che tratta ex professo *De iuris remediis contra sententiam*» (G. LOBINA, *Elementi di procedura amministrativa canonica*, Roma 1973, 72; cf. etiam EUNDEM, *Le competenze del Supremo Tribunale della Segnatura apostolica con particolare riferimento alla «Sectio Altera» e alla problematica rispettiva*, Roma 1971, 130).

¹⁵ Cf. J.M. PINTO GOMEZ, *Iustitia administrativa ecclesiastica* (Praelectionum compendium) 1983-1984 (Studio Rotale), ad usum privatum, s.l.s.d., 42; G. RAAB, *Rechtsschutz* (cf. nt. 12), 190; E. LABANDEIRA, *Tratado* (cf. nt. 12), 773.

¹⁶ «Aus der Natur der Signatur als des höchsten kirchlichen Gerichts» (G. RAAB, *Rechtsschutz* [cf. nt. 12], 190).

¹⁷ «Lo cual se deduce de la disciplina precedente» (E. LABANDEIRA, *Tratado* [cf. nt. 13], 773).

¹⁸ Cf. E.G. VITALI, (*intervento*), in *Persona e ordinamento nella Chiesa*, Milano 1975, 547.

est privilegium Signaturae Apostolicae (rationes scilicet in facto et in iure non dandi) ab art. 122, § 2 *Normarum Specialum* pendere, qui autem artissimo nexu ligatur cum c. 1605 Codicis praecedentis, qui iam non habetur in novo Codice; et insuper de facto semper, quantum coniectare potest, Signaturam Apostolicam rationes in facto et in iure dedisse.

Argumenta concessionis querelae nullitatis et restitutionis in integrum faventia

11. Schemata Codicis, in itinere recognitionis elaborata, agnoverunt «adversus tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in aliquo gradu finem ponant... impugnationes ad normam iuris»¹⁹.

Ipsam *Schema* anni 1972, remittendo ad normas Codicis in eis quae non praevidebantur expresse in procedura ipsius *Schematis*, indicat librum quartum, partem I, sectionem I (*De iudiciis in genere*), nullo Titulo excluso²⁰. Eadem, valde probabiliter, ab ipso *Schemate* anni 1970 statuebantur²¹.

Opinio haec Coetus Recognitionis confirmationem accipiebat in *Schemate* anni 1972, in quo tantum restitutio in integrum propter neglectum legis praescriptum excludebatur in iudiciis coram tribunalibus administrativis (cf. c. 25, § 3). Exclusio tamen in *Sche-*

¹⁹ Vide c. 1714 *Schematis* anni 1980; c. 1762 *Schematis* anni 1982.

²⁰ Vide c. 25, § 1; cf. etiam c. 1715, § 1 *Schematis* anni 1980; c. 1763, § 1 *Schematis* anni 1982.

²¹ Cf. P. CIPROTTI, *De procedura administrativa*. Operae stadia, in *Communicationes* 2 (1970) 194.

matibus sequentibus disparuit, cum Legislator explicavit legem, propter cuius neglectum restitutio in integrum peti poterat, esse non mere processualem (cf. c. 1645, § 2, 4^o), et non iam legem processualem, cui tribunal administrativum derogare poterat, «ut celeritati, salva iustitia, consulat»²².

Ex hoc patet Commissionem Pontificiam Codici Iuris Canonici recognoscendo expresse favere concessioni querelae nullitatis et restitutionis in integrum adversus sententias administrativas ac proinde etiam adversus Signaturae Apostolicae decisiones.

12. Systemata civilia Iustitiae Administrativae plerumque impugnationes adversus sententias administrativas, et Supremi Tribunalis, admittunt.

In systemate italico ex gr. «adversus sententias tribunalium administratorum (nempe, regionalium) revocationis recursus admittitur, casibus, modis atque terminis in artt. 395 et 396 Codicis procedurae civilis praescriptis»²³. Et adversus decisiones in altero gradu a Consilio Status prolatas «revocationis recursus, casibus atque terminis in art. 396 Codicis procedurae civilis praescriptis, necnon ad Cassationis Tribunal recursus propter causas iurisdictioni inhaerentes, admittuntur»²⁴.

²² Vide c. 25, § 2 *Schematis* anni 1972; cf. etiam c. 1715, § 2 *Schematis* anni 1980; c. 1763, § 2 *Schematis* anni 1982.

²³ «Contro le sentenze dei tribunali amministrativi è ammesso ricorso per revocazione, nei casi, nei modi e nei termini previsti dagli artt. 395 e 396 del codice di procedura civile» (*Legge 6 dicembre 1971*, n. 1034, art. 28, 1^o comma).

²⁴ «Sono ammessi il ricorso per revocazione, nei casi e nei termini previsti dall'art. 396 del codice di procedura civile, e il ricorso in Cassazione per motivi inerenti alla giurisdizione» (*ibidem*, art. 36; cf. etiam artt. 81-86, *Regio Decreto 17 agosto 1907*, n. 642).

Impugnatio ibidem agnoscitur per relationem ad articulos generales de restitutione in integrum: haec relatio persaepe in legibus sat imperfecte statuitur. Iurisprudentia coram his defectuosis statuitionibus, per amplum accessum ad restitutionem in integrum agnovit, sub luce iuris fundamentalis civium ad tutelam iudiciariam in Charta Constitutionali relati²⁵.

Restitutio in integrum agnoscitur etiam in recur-su extraordinario ad Praesidem Rei Publicae, qui consideratur partim uti recursus administrativus, partim uti recursus iurisdictionalis²⁶.

Et decisiones Tribunalium administrativorum specialium impugnari possunt per petitionem restitutionis in integrum²⁷.

Ex hoc deduci potest restitutionem in integrum concedi solere in systemate italico, per mentionem autem explicitam huius possibilitatis.

In systemate germanico Iustitiae Administrativae adversus sententias administrativas patet aditus ad omnia iuris remedia in Codice procedurae civilis praevista, inter quae querela nullitatis (*Nichtigkeitsklage*) et restitutio in integrum (*Restitutionsklage*) recensentur²⁸.

13. Etiam si Sectio Altera sit in Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali erecta, non participat tamen characterem Supremi Tribunalis Administrativi,

²⁵ Vide ex. gr. Adunationem Plenariam Consilii Status diei 30 iulii 1980, n. 36.

²⁶ Vide art. 15, *D.P.R. 24 novembre 1971*, n. 1199.

²⁷ Vide artt. 68-70, *Regio Decreto 12 luglio 1934*, n. 1214 (*Corte dei Conti*); art. 199, *Regio Decreto 11 dicembre 1933*, n. 1775 (*Tribunale delle Acque*).

²⁸ Vide art. 153 *Verwaltungsgerichtsordnung* diei 21 ianuarii 1960.

quia iudicat in prima et una instantia. Hoc autem pendet et a tribunalium administrativorum in limine novae codificationis disparitione; nec considerari possunt decisiones administrativae utpote ad instar decisionum iudicialium prolatae (recursus hierarchici non sunt instantiae iudiciales!). Ex hoc sequitur debilis iurium fidelium defensio, quia in uno (et quidem finaliter posito) gradu iudicali ponitur, contra expressum principium septimum Codicis Iuris Canonici Recognitionis: «Communis opinio canonistarum censet recursus administrativos non parum deficere in ecclesiastica praxi et administratione iustitiae. Exinde necessitas ubique persentitur ordinandi in Ecclesia tribunalia administrativa *secundum gradus et species*, ita ut defensio iurium in eisdem habeat propriam et canonicam proceduram quae apud auctoritates *diversi gradus* apte evolatur»²⁹.

Propter hanc rationem aliqui auctores iam suggererunt appellabilitatem sententiae Sectionis Alterius in quaestionibus seu controversiis administrativis a Romano Pontifice vel a Curiae Romanae Dicasteriis delatis prolatae³⁰.

Admissio querelae nullitatis atque restitutionis in integrum videtur hoc in ambitu utpote concessio minoris momenti relate ad iustitiae exigentias, quae per se et appellationem requirerent.

14. Etiam si auctores plerumque impugnationes vel extraordinarias adversus Signaturae Apostolicae decisiones excludant, nihilominus plures querelam

²⁹ *Communicationes* 1 (1969) 83; emphases nostrae.

³⁰ Cf. FR. D'OSTILIO, *De appellationis problemate in Sezione Altera Signaturae Apostolicae relate ad causas vigore art. 107 Constitutionis «Regimini» ipsi delatas*, in *Periodica* 67 (1978) 689-713.

nullitatis atque restitutionem in integrum *per se et absolute admittunt*³¹ vel *de iure condendo admittunt*³².

Argumentum praevalens, quo auctores utuntur, in eo consistit quod hae impugnationes (extraordinariae), «cum videndae sint ab ipso iudice qui decisionem tulit, ipsi Sectioni Alteri Signaturae Apostolicae proponi possunt»³³, sine ergo necessitate ad superiorem instantiam provocandi.

15. Iurisprudentia Signaturae Apostolicae, usque ad novissimas sententias in capite citatas, quoad nostram quaestionem, *quantum coniectare licet* (quia revera sat raro, proh dolor!, sententiae publici iuris fiunt), prorsus caret. At hoc probabiliter evenit non iam quia Sectio Altera querelam nullitatis vel restitutionem in integrum negavit, sed potius quia defuerunt petitiones quoad hoc.

In iurisprudentia, quae publici iuris facta est, et

³¹ «Certamente possono verificarsi le condizioni per un ricorso ad essi ed inoltre è sostenibile la loro procedibilità» (FR. SALERNO, *Il giudizio presso la «Sectio Altera» del S.T. della Segnatura Apostolica*, in *La giustizia amministrativa nella Chiesa*, Città del Vaticano 1991, 175); «Mi pare che, assolutamente parlando, si debba ammettere anche la possibilità di proporre la querela di nullità, e la restitutio in integrum a norma dei cann. 1892-1897 e 1905-1907» (Z. GROCHOLEWSKI, *La «Sectio Altera»* [cf. nt. 11], 103).

³² «Denkbar wäre die Möglichkeit einer Wiederaufnahme des Verfahrens... Als Prinzip darf gelten, dass die de iure condendo für das kanonische Recht vorgesehenen Rechtsmittel in gleicher Weise für den ordentlichen wie für den Verwaltungsprozess verwendet werden können» (G. RAAB, *Rechtsschutz* [cf. nt. 12], 190-191, 355; cf. etiam, quoad restitutionem in integrum, G. LOBINA, *Elementi* [cf. nt. 14], 73).

³³ Cf. FR. SALERNO, *Il giudizio* (cf. nt. 31), 175; cf. etiam G. LOBINA, *Elementi* (cf. nt. 14), 72-73.

saltem casus prostat querelae nullitatis, at adversus Congressus decretum, quod apud Collegium iudicans et propter nullitatem impugnatur³⁴.

Casus isti aperte demonstrant iustitiae exigentiam remedium querelae nullitatis et restitutionis in integrum postulare vel saltem postulare posse³⁵. Has exigentias manifestare videntur et illae quattuor petitiones restitutionis in integrum apud Signaturam Apostolicam iam nunc pendentes³⁶.

Solutio difficultatum ex argumentis quae concessionem querelae nullitatis et restitutionis in integrum contraria sunt

16. Difficultas maior exsurgit ex art. 126 *Normarum Specialium* qui, in remissione ad normas Codicis, tantum usque ad Titulum XIII (*De sententia*) remittit. Positive excludere videtur Titulos sequentes. *Inclusio unius est exclusio alterius*. Silentium quoad Titulos sequentes eorum normativam excludere videtur. At interpretatio haec non est adeo pacifica uti primo ictu oculi apparet.

³⁴ Vide unam Romanam, diei 19 februarii 1972, Incidentis: de appellatione contra decisionem Congressus S.T.S.A. diei 28 iulii 1970, in *Periodica* 64 (1975) 262-271.

³⁵ In priore de que in nota n. 2 causa publica Administratio querelam nullitatis et petitionem restitutionis in integrum adversus sententiam, eidem haud favorabilem, porrexit; in altera causa ipse recurrens petitionem restitutionis in integrum porrexit. Quoad priorem casum valent et in hoc ambitu argumentationes ab Exc.mo Secretario Signaturae Apostolicae elaboratae (cf. *L'autorità amministrativa come ricorrente alla Sezione Altera della Segnatura Apostolica*, in *Apollinaris* 55 [1982] 752-779).

³⁶ Cf. *L'attività della Santa Sede* 1990, 1203.

En aliqua elementa quae novam interpretationem requirunt.

Inter Titulos exclusos recensitur Titulus XVI (*De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio*): hic Titulus excludi videtur tantummodo quia normativa specialis in artt. 100 et 101 *Normarum Specialium* iam habetur.

Appellationis exclusio adversus Signaturae Apostolicae decisiones iam haberetur etiamsi non adesset art. 126 *Normarum Specialium*: aliunde provenit vel saltem clare erui potest: a c. 1880, 1° Codicis praecedentis (cf. c. 1629, 1°); a *Normarum Specialium* silentio quoad Turnos in Signatura Apostolica etc.

17. *Ratio cur Normae Speciales solummodo ad Titulum XIII remittunt in mente et in ratione ipsius art. 126 sistit.*

Hic articulus enim tantum *processus normativae* consulere voluit, atque huic intentioni prorsus aliena ac extranea habetur normativa impugnationum (saltem extraordinariarum). *Articulus non exclusit positive Titulos sequentes, sed omisit eos considerare, quia non includebantur in obiecto eiusdem articuli.*

En duo argumenta ad hanc thesim roborandam.

Priore in loco articulus ipse *modum* remissionis fatetur: «normae processuales (quibus remittitur)... ita quidem accommodatae ut quam maxime consulatur peculiari illi brevitati, quam praeseferre debent processus celebrandi coram sectione altera Signaturae Apostolicae». Hic modus remissionis non concernit quaestionem an/quaes dentur impugnationes, sed tantummodo iter processuale (quocumque in gradu) quod a libello ad sententiam evolvitur. Haud dubie enim iudici non est (nec esse potest) accommodare normas de impugnationibus (saltem quoad earum propositionem) «ut quam maxime consulatur peculia-

ri illi brevitati, quam praesefere debent processus»: ratio haec tantummodo referri potest ad actus processuales in ipsa instantia evolvendos, certe non ad impugnationum propositionem vel admissionem.

18. Altero in loco vox *processus* (de qua in art. 126: *normae processuales - processus*) una eademque significatione non gaudet, ac nostro in articulo idem significat ac seriem quandam actuum a libelli seu recursus propositionem usque ad sententiam inclusive.

Haec significatio a pluribus elementis erui potest.

A) Vox *processus* habet significationem genericam «complexus actuum legitimorum quibus cognitio et definitio alicuius quaestionis seu negotii ad praescripta legis absolvitur»³⁷, uti in inscriptione libri IV Codicis Iuris Canonici anni 1917 (ac libri VII vigentis Codicis).

«Haud raro vox *processus* adhibetur in sensu magis restricto pro ipso iudicio»³⁸, quod describitur utpote «controversiae... coram tribunali... legitima disceptatio et definitio» (c. 1552, § 1 Codicis praecedentis).

Quin immo passim *processus* cognitionis simpliciter dicatur *processus* (cf. ex. gr. Tit. XII Codicis praecedentis: *De processus publicatione*), in relatione praesertim ad illam theoriam civilisticam iuxta quam *processus* habetur ut relatio iuridica³⁹: «Sententia in prima aut ulteriore instantia lata *processum* cognitionis non concludit donec facta sit res iudicata... Quere-

³⁷ FR. X. WERNZ - P. VIDAL, *Ius canonicum*. Tomus VI *De processibus*, Romae 1949², 17, n. 8.

³⁸ *Ibidem*.

³⁹ Cf. ex. gr. FR. ROBERTI, *De processibus*, I, Romae 1941², 76-84, nn. 28-29.

la nullitatis independenter ab appellatione proposita, tertii oppositio et restitutio in integrum potius processus per se stantes considerantur qui suam evolutionem exhibent analogam evolutioni processus principalis. Exsecutio sententiae novam relationem processualem constituit»⁴⁰.

Variae significationes vocis *processus* saltem non excludunt in art. 126 dari posse significationem seriei actuum usque ad sententiam vel ad rem iudicatam.

B) Normae processuales in *Normis Specialibus* recensitae sunt sub Titulo VII (*De ratione procedendi in sectione altera*), qui quinque capitibus componitur: caput I: *Normae praeliminares*; caput II: *Ratio procedendi in recursu adversus actus publicae Administrationis ecclesiasticae*; caput III: *Ratio procedendi in recursu pro compositione conflictuum de competentia inter Romanae Curiae Dicasteria*; caput IV: *De processibus administrativis et disciplinaribus a Summo Pontifice commissis vel delatis a Dicasteriis Romanae Curiae*; caput V: *Normae generales remissionis*.

Uti probe apparet, locutio longe frequentior in *Normis Specialibus* evadit *Ratio procedendi*: haec locutio, cum illa *procedura*, «potius externam ac practicam processus evolutionem demonstrat»⁴¹, ac certius in amplissimo ac substantivo ambitu processus proprie dicti intrare ac decernere non vult. Art. 126 remittit propterea, ad complendam hanc rationem procedendi, ad proceduram Codicis Iuris Canonici.

C) Termini ad petendam restitutionem in integrum nullo temporis spatio absolute considerato limi-

⁴⁰ *Ibidem*, 80.

⁴¹ FR. ROBERTI, *De processibus* (cf. nt. 39), 71, n. 24.

tantur: petitio proponi potest et post decem, triginta, quinquaginta etc. annos, dummodo revera hoc eveniat «intra tres menses a die cognitionis motivorum» (cf. c. 1646, § 1); excipitur tantum casus in c. 1645, § 2, 4^o recensitus, ubi petitio porrigi debet «intra tres menses a notitia publicationis sententiae» (c. 1646, § 2). Certo termini tam lati recte impediunt quominus processus restitutionis in integrum idem consideretur ac processus principalis, uti eiusdem processus pars seu gressus ulterior⁴².

Cl. mus iuris peritus italicus CALAMANDREI inter iuris remedia adversus sententias probe distinguebat «mezzi di gravame» («gravaminis media»), uti appellationem, et «azioni di impugnativa» («impugnacionis actiones»), uti restitutionem in integrum.

Priora remedia originem processualem habent, obiectum recipiunt a controversia, quae processui ortum dedit, ac veluti altera pars eiusdem processus constituunt. Dum econtra «azioni di impugnativa» originem ducunt substantivam, obiectum recipiunt ab asserto iure impugnacionis ac *novus processus* constituunt⁴³.

⁴² En aliquae auctoritates: S. GOYENCHE, *De processibus*. II. (Breves adnotationes ad L. IV Codicis Iuris Canonici), Romae [1941?], 246: «Processus restitutionis in integrum... Qui aliis repraesentant indigent nova licentia vel consensu; procurator novo mandato, agitur enim de novo processu»; E. BERNARDINI, *Diritto processuale comparato* (per uso privato), Roma (1941-1942), 67: «Abbiamo parlato della sentenza che è il modo formale col quale si estingue il processo. Ma il processo può estinguersi anche per altri motivi... [perenzione, rinuncia e transazione]»; P. PELLEGRINO, *Impugnazioni VI*, Diritto canonico, in *Enciclopedia giuridica*, XVI, Roma 1989, 6: «Essendo il processo di restituzione in integro perfettamente distinto dal primo processo...».

⁴³ Cf. A. CERINO NOVA, *Impugnazioni I*, in *Enciclopedia giuridica*, XVI, 3; cf. etiam V. TAVORMINA, *Contributo alla teoria dei*

19. Haud constituit difficultas c. 1646, § 2, qui praevidet exceptionaliter (in casibus scilicet nn. 4^o et 5^o canonis 1645, § 2) petitionem restitutionis in integrum penes tribunal appellationis. Et Signatura Apostolica enim appellationem praevidet in Priore Sectione (cf. artt. 77 et 82 *Normarum Specialium*) et insuper difficultas processualis praescripto substantiali concessionis remedii obstare nequit. Huic addatur quod rationes cogentes desunt pro c. 1646, § 2 praescripto, cum ex. gr. in iure civili italico haec norma ignoretur.

Quidquid sit, Signatura Apostolica, cum duodecim Iudicibus componatur, iudicare potest de petitione restitutionis in integrum per alios Iudices⁴⁴.

Hae rationes pari modo applicantur querelae nul-

mezzi di impugnazione delle sentenze, Milano 1990, 141-193; cf. praesertim 155-156; 186-190: auctor hic theoriae Calamandrei assentit, etiamsi ius italicum aliquantulum divertat a normis antiquis, in iure canonico adhuc vigentibus).

⁴⁴ In priore de qua in nota n. 2 causa sententia lata est *videntibus omnibus*, nempe coram octo Em.mis Iudicibus in sessione plenaria; restitutio in integrum in eadem causa concessa est, vi c. 1645, § 2, 4^o (et casus est in quo c. 1646, § 2 restitutionem petendam esse tribunali appellationis praescribit), sententia lata *iterum videntibus omnibus*, nempe coram septem Em.mis ac Exc.mis Iudicibus (quorum solummodo duo de facto uti Iudices sententiam priorem tulerunt).

In altera causa sententia lata est *videntibus omnibus*, nempe coram septem Em.mis Iudicibus in sessione plenaria; restituito in integrum in eadem causa concessa est, vi c. 1645, § 2, 2^o (casus est in quo, iuxta c. 1646, § 1, restituito petenda est a iudice qui sententiam tulit), sententia lata *videntibus omnibus*, nempe coram decem Em.mis ac Exc.mis Iudicibus (quorum solummodo duo de facto uti Iudices sententiam priorem tulerunt).

Peropportunum erit forsitan aut in Sectione Altera consuetudinem inducere iudicandi per Turnos, ita ut c. 1646, § 2 praescripto obtemperari possit; aut in edituris *Normis Specialibus* exemptionem inducere ab eodem praescripto.

litis, utpote extraordinario remedio adversus sententiam.

20. Eadem interpretatio art. 126 *Normarum Specialium*, art. 116 earundem normarum consideratione confirmatur. Ibi clare edicitur decisionem Collegii (quod reiectionem recursus in Congressu habitam confirmet) nulli impugnationi obnoxiam esse. Haec declaratio tamen supervacanea prorsus est, si revera art. 126 iam omnem impugnationem adversus Collegii decisiones excluderet (cf., quoad hoc, infra n. 25).

21. Art. 70 s.d. *Regolamento Generale della Curia Romana* non amplius viget⁴⁵. Oblivioni insuper tradendum non est *Regolamento* die 22 februarii 1968 approbatum esse, dum e contra *Normae Speciales* die 25 martii eiusdem anni approbatae sunt, quae possunt *Regolamento* abrogare vel eidem derogare.

Addatur insuper locutionem art. 70 s.d. *Regolamento* admodum perspicuam non esse nec in eiusdem interpretationem omnes canonistas convenire⁴⁶.

⁴⁵ Abrogatio art. 70 forsitan praecessit ipsam abrogationem per novum *Regolamento*, die 7 martii 1992 promulgatum. Art. 12, n. 2 Statuti Officii Laboris apud Apostolicam Sedem, ad experimentum in motu proprio *Nel primo anniversario* (die 1 ianuarii 1989) approbati, forsitan iam abrogavit art. 70. In hac nova normativa adversus Collegii decisiones «sono applicabili... le disposizioni del Codice di Procedura Civile Vaticano relative... alla revocazione ed alla querela di nullità» (art. 11, n. 5b; emphasis nostra).

⁴⁶ Cf. ex. gr. G. LOBINA, *Elementi* (cf. nt. 14), 73.72: «Ora come abbiamo visto, contro le Decisioni della Segnatura Apostolica, non è previsto alcun rimedio giuridico, per cui in una futura revisione del Regolamento, l'ultimo inciso [art. 70 scilicet] andrebbe soppresso... [utpote] alquanto singolare e non armonicamente collegato con tutto il sistema della giurisdizione amministrativa attualmente vigente nell'ordinamento canonico».

22. Certe iudicio administrativo mere rescissorio minus conveniunt querela nullitatis ac petitio restitutionis in integrum, quia uti reduplicatio (in infinitum progrediens) apparent.

Iudicium administrativum tamen, et in iure ac usu vigentibus, mere rescissorium dici nequit, quia revera plurimis ex elementis (de quibus hic disserere perlongum evaderet⁴⁷) idem iudicium iura subiectiva fidelium tueri apparet, vel saltem s.d. eorumdem positiones iuridicas substantiales. At, etiamsi hoc non esset, nihil impedit de se quominus restitutio in integrum petatur et contra sententiam mere rescindentem⁴⁸.

Conclusio principalis

23. Ex omnibus supra relatis sequentia *principaliter* deduci possunt:

a) *Normae Speciales* prorsus silent, at non exclu-

⁴⁷ Videsis G.P. MONTINI, *L'esecuzione delle sentenze della «Sectio Altera» della Segnatura Apostolica. Il significato di una lacuna*, in K. LÜDICKE - H. MUSSINGHOFF - H. SCHWENDENWEIN [edd.], *Iustus Iudex*. Festgabe für Paul Wesemann zum 75. Geburtstag, Essen 1990, 555-571; EUNDEM, *Il risarcimento del danno provocato dall'atto amministrativo illegittimo e la competenza del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica*, in *La giustizia amministrativa*, 179-200.

Ipsa concessio restitutionis in integrum aliud elementum evadit quod naturam realem Iustitiae Administrativae Canonicae (et in usu iureque vigentibus) aperte demonstrat.

⁴⁸ Recenter ex. gr. in iure civili italico Tribunal Constitutionale restitutionem in integrum concessit et contra sententiam Supremi Tribunalis Cassationis (cf. sententiam diei 30 ianuarii 1986, n. 17; cf. E. FAZZOLARI, *Revocazione*, in *Enciclopedia del diritto* XL, Milano 1989, 293-294).

dunt remedia iuris extraordinaria adversus decisiones Collegii iudicantis Signaturae Apostolicae;

b) in Codice vigenti nullam limitationem patiuntur, quoad sententias quibus applicari possunt, remedia extraordinaria iuris adversus sententias, quae in rem iudicatam transierunt (cf. cc. 1620-1623; 1641 et 1645).

Ex his concludendum esse videtur quod sententiae definitivae, in capite citatae, quibus conceditur restitutio in integrum adversus sententias eiusdem Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, iuri vigenti haud contradicunt, quin immo plene cohaerent cum structura Iustitiae Administrativae Canonicae.

Conclusiones secundariae

24. Rationes et argumenta usqueadhuc allata a fortiori valent relate ad decisiones Em.morum ac Exc.morum Signaturae Apostolicae Iudicum quibus iudicetur de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum (cf. art. 123, § 2 *Pastor Bonus*) atque de aliis controversiis administrativis, quae a Romano Pontefice vel a Romanae Curiae Dicasteriis Signaturae Apostolicae deferuntur (cf. art. 123, § 3 *Pastor Bonus*).

Ratio procedendi enim istis in casibus eadem est, congrua congruis referendo, ac illa principalis iudicii de legis violatione (cf. art. 125 *Normarum Specialium*) atque ipsis casibus applicatur art. 126 *Normarum Specialium*.

25. Congressus Signaturae Apostolicae est discernere «utrum recursus admittendus sit ad disceptationem, an reiciendus quia manifeste ipse caret fundamento». Quodsi Congressus recursum reiciat, «datur

recursus ad Collegium iudicans» (cf. art. 116 *Normarum Specialium*).

Daturne adversus hanc Collegii decisionem, qua decretum reiectionis confirmatur vel reformatur, querela nullitatis et petitio restitutionis in integrum?

Si Collegium, reiectionis decretum reformans, recursum ad disceputationem admittat, certe parti (succumbenti) nec querela nullitatis nec petitio restitutionis in integrum suppetit, cum rationes in disceputatione plenius ac fusius exponere possit. Hac de causa *Normae Speciales* nec casum fingunt recursus adversus Congressum, qui ad disceputationem admittat.

Si Collegium, e contra, decretum reiectionis confirmet atque recursum reiciat utpote manifeste carens fundamento, *per se* quaestio dari posset de querela nullitatis et de petitione restitutionis in integrum interponendis. Decretum, enim, pro recursus reiectio confirmetur, sententiae definitivae aequari potest sive quia post sat longum contradictorium fertur sive quia effectum impediendi processum habet, cum recursus denuo proponi nequit. Cum ergo decretum hoc decisorium appellationi non subiaceat, recte dici potest in rem iudicatam transire, adversus quam fingi possunt remedia extraordinaria iuris ut querela nullitatis et restitutio in integrum⁴⁹.

Quae tamen remedia in casu dari non possunt quia Summus Legislator edixit quod haec «decisio Collegii nulli impugnationi est obnoxia» (art. 116 *Normarum Specialium*). Quae locutio incertitudini lo-

⁴⁹ Cf. in materia simili A. STANKIEWICZ, *De libelli reiectione eiusque impugnatione in causis matrimonialibus*, in *Quaderni. Studio Rotale*, II, Roma 1987, 73-89; cf. etiam FR. SALERNO, *Il giudizio* (cf. nt. 31), 165, qui tamen duas factispecies ultra debitum aequat.

cum dare nequit, cum *omnes* impugnationes in casu excludat.

Quae dispositio sat rationabilis evadit, quia in casu decisiones (sive Congressus sive Collegii) tantum de manifesta fundamenti carentia vertunt ac proinde duo gradus iudiciales plane sufficiunt ad hanc quaestionem plenissime dilucidandam. Hac dispositione insuper recte consulitur processus brevitati.

Haec argumentatio aliud argumentum affert ad quaestionem principalem ibi agitatam solvendam. Legislator enim ibi dixit quod voluit, remedia iuris omnia adversus decretum definitivum negando: haud habuit rationem ad art. 126 *Normarum Specialum*, iuxta quem (uti aliqui non probe interpretantur) supervacuum fuisset explicite remedia iuris in art. 116 negare, cum iam in illo art. 126 negata essent. Hoc autem significat art. 126 aliter interpretari debere, uti supra innuimus.

Quaestiones adhuc solvendae

26. De iuris remediis adversus decisiones (Collegii) Signaturae Apostolicae circa actus administrativi impugnati suspensionem hic agere nolumus, quia revera quaestio sat aspera, immatura ac nostrarum sententiarum commentario non directe connexa evadit.

27. Admissis querela nullitatis et petitione restitutionis in integrum adversus sententias Sectionis Alterius Signaturae Apostolicae, permultae quaestiones exsurgunt, quarum solutionem iurisprudentiae erit invenire. Duas tantum hic nominamus.

Qua procedura adhibenda in casu? Nostris in sententiis petitio restitutionis in integrum statim delata

est ad ipsum Collegium iudicans, memorialibus partibus necnon voto promotori iustitiae exquisitis. Hoc modo iudicii celeritati consulitur, at certocertius Collegio iudicanti petitiones vacuae et absque ullo fundamento, solummodo ad moras executioni nectendas porrectae, cum detrimento iustitiae, examini subici possunt.

Quid de actus administrativi impugnati suspensione? Omnes probe norunt recursus, aliquando saltem, effectum suspensivum habere⁵⁰. Quandonam effectus suspensivus cessat?

Quaestio sat implicata evadit, quia, aliquando saltem, vel nullum datur temporis spatium absolute determinatum, intra quod recurrendum est pro petitione restitutionis in integrum (cf. c. 1646, § 1) vel tempus datur nimis latum intra quod recurri potest, uti pro querela nullitatis (cf. c. 1621).

Quid tenendum, si statim post sententiae notificationem publica Administratio executionem in actum redigit atque paulo prius vel simul vel paulo postea recursus interponitur querelae nullitatis vel restitutionis in integrum?

Quid tenendum, si statim post sententiae notificationem recurrens executionem actus urget atque publica Administratio recursum querelae nullitatis vel restitutionis in integrum interponat? Applicari potest in casu c. 1647, saltem ex analogia?

⁵⁰ Vide, ex. gr., pro parochorum amotione, c. 1747, § 3; *responsum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II Interpretandis de recursu in suspensivo in casu processus remotio-nis parochi*, diei 1 iulii 1971 (AAS 63 [1971] 860 sub II); pro dimissione a religione, c. 700 in fine; *decretum Signaturae Apostolicae de recursu in suspensivo contra dimissionem a religione*, diei 26 iulii 1972 (*Documenta recentiora* [cf. nt. 3], 400-401).

His dubiis certocertius et iurisprudentia et editurae *Normae Speciales* Signaturae Apostolicae respondere debent.

GIANPAOLO MONTINI